

*M*  
1741/15  
5

SUBSIDIA  
INTERPRETATIONIS  
DOCTRINALIS  
PACIS RELIGIOSÆ ET WESTPHALICÆ,  
AC UTRIVSQUE  
SYNOPSIS HISTORICA

Q U Æ  
AUSPICE DEO TER OPT. MAX.  
INDULTU AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS  
IN ALMA JULIO-FRIDERIC. WIRCEBURG. UNIVERSITATE

P R Æ S I D E

*Prænobili, Clarissimo ac Consultissimo Viro ac Domino*

**JOANNE PETRO BANNIZA,**  
UTR. JUR. DOCT.

Reverendis. & Celsis. Princ. Episc. Bamb. & Wir-  
ceburg. F. O. D. Consiliario Aulico, ejusdemque in præfata  
Universitate Juris Feudalis, Præeos Supremorum Dicasteriorum  
et Cancellariorum, uti et Præeos Crim. Prof. P. et O.

*Tribus rigorosis Examinibus rite tentatus & approbatus*

P R O L I C E N T I A

SUMMOS IN UTROQUE JURE CAPESSENDI HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

*Publicæ Disquisitioni submittit*

**JOANNES GEORGIUS KOENIG,**  
Regiscur. in Arvis, Ss. Theol. Baccalaureus Biblic. et Format.  
et Jurium Emeritus, Rever. et Celsis. Princ. Alumnus Presbyt.  
p. t. Perillustr. Juvent. Greiffenclavianæ Moderator.

IN AUDITORIO JURIDICO AN. M DCC XLI. DIE XVI. DECEMBRIS,

*Horis ante & post meridiem consuetis.*

---

WIRCEBURGI, Typis Joan. Jac. Christ. Kleyer, Univ. Typogr.

3 U B 3 D 1 A  
INTERPRETATIONIS

BOGTLI  
PACIS REPOSITIO ET REFORMATIONIS

AD UNIVERSITATEM  
SYNOPSIS HISTORICA

OUR  
ALPHABETICO PER ORDEM  
IN ALIA JUDICIA REFORMATIONIS

PRÆSIDII  
JOHANNES BERTHO RANDEL

Novo ordine & Colloquio publico & privato  
admodum Reverendissimi Patris  
Camerarum & Consistorii Praesidis  
Camerarum & Consistorii Praesidis

PROBATIONIS  
SINGULORUM DE REFORMATIONIS  
ET REFORMATIONIS

JOHANNES GEORGIUS RANDEL  
Camerarum & Consistorii Praesidis  
Camerarum & Consistorii Praesidis

WILHELMUS RANDEL  
Camerarum & Consistorii Praesidis






SUBSIDIA  
INTERPRETATIONIS  
DOCTRINALIS

PACIS RELIGIOSÆ ET WESTPHALICÆ,  
AC UTRIVSQUE

*SYNOPSIS HISTORICA.*



INTERPRETATIO vera Le-  
gum aut Pacificationum *uni-*  
*ca* tantum est, nempe doctri-  
nalis, eademque semper est  
*declarativa*, saltem hoc sen-  
su, quod ipsam voluntatem

Imperantium aut Paciscentium dubiam de-  
claret: vulgo sic dictæ Interpretationes,  
*Usualis* atque *Authentica*, male pro interpre-

A 2      tatio-

tationibus veris & proprie dictis venditantur (a).

Satis vero jam ab aliis demonstratum est, tantum abesse, ut Doctoribus in Academiis de publicis Imperii legibus æternum quasi silentium iniunctum sit, ut potius inter primarias officii illorum partes referendum videatur, Jurisprudentiam publicam interpretatione doctrinali sedulo pertractare (b).

Quid amabo! vetuissent Pacis Westphalicæ Architecti (c), ne quisquam publice privatim-

---

(a) Vide L. 9. in fin. L. 12. §. 1. Cod. de LL.

(b) Magnif. & Consulitiff. D. LUDOVICUS HABERMANN Consiliarius Intimus &c. antea in hujate Universitate Prof. Famigeratiff. in Jur. Publ. Disser. I. Cap. 2. q. 4. n. 14. & nouissime Pl. Rdu, Exim. Consulitiff. D. CASPAR. BARTHEL, Ss. Theol. & U. J. Dr. SS. Canon. Prof. Celeberr. Collega meus honoratiff. in solid. Diff. de Pacif. Imp. circa Religion. p. 87. VITRIAR. Inst. J. P. proœm. n. 18. BUCKISCH ad Proœm. Instr. P. W. obf. 2. HERMES in Fascic. J. P. Cap. I. n. 31. LYMN. L. I. J. P. Cap. 2. OLDENBURG in Præf. Lymn. enucl. HORN. J. P. Cap. I. §. 29.

(c) Pac. Osnabr. Art. V. §. 50.



vaticumque docendo, scribendo &c. prædictam Pacem uspiam impugnet, aut contrarias assertions inde deducere conetur, nisi pro certo ac constituto habuissent, liberam esse ac licitam ejusdem lectionem atque tractationem, modo a cavillationibus atque finistris interpretatiunculis abstineatur. Nam etsi Nobilissimæ Imperii Romano-Germanici Legis, Pacis, inquam, Westphalicæ sanctitati atque inviolabilitati tot cautionibus prospectum fuerit, quot humanis viribus unquam potuit; quis tamen ex eo argumentum duxerit, non tangi, non evolvi, non legi, non illustrari debere Celeberrimæ Pacificationis Tabulas, quas in normam & legem non Imperii tantum Proceribus, verum etiam omnibus sine discrimine Germaniæ Civibus compositas fuisse constat, quæ itidem Jura diversæ Religionis Sociorum, & officia, quæ sibi invicem exhibere tenentur, describunt.

Cæterum res ipsa loquitur, qui termini, qui modus, quæ modestia ac circumspectio in his tradendis observanda sit, effrænis enim cujusvis dicendi licentia reipublicæ pernicio-

A 3

sissima



fissima semper extitit (d). Proinde de generalibus principiis, modo solliciti notamus, ad genuinam Pacis Relig. & Westph. Articulorum, quatenus præcipue Religionem, Jura Bonaque Ecclesiastica attingunt, interpretationem requiri:

I. Animum ab indiscreto Religionis zelo vacuum, & veritatis amantem (e).

II. Inti-

(d) cit. Art. V. §. 1. Instr. Pac. id ipsum quoque salubriter cautum est in R. I. N. §. 191. & in Cap. LEOPOLD. JOSEPH. CAROL. VI. art. 2. ac in Ejusdem CAROLI VI. Imp. Gloriosiss. Mem. Edicto de Anno 1715. quod extat in Elect. Jur. Publ. Tom. 8. pag. 81.

(e) Qualem siquis alius, ego certe profiteor; Testis est *Diss. mea de Tolerantia divers. Religionum* per tot. Testes sunt *Ephemerides Hamburg. literariæ* ad Annum 1737.

Testis est insignis Author *des Cabinet. Couriers* ad eundem annum in XXIII. Tour. sub Rubr. *Was sich Neues begiehet auf Academien*, pag. 900. - 907. ubi *meæ prædictæ Dissertationis* recenset Epitomen.

Testis denique est meus Antagonista præstantissimus D. PFAFFIUS, Theologus Tubingensis, ejusdemque Universitatis Cancellarius, in *Diss. de Zizaniis non evellendis*, qui pag. 7. et 9. meum æquitatis studium circa validitatem & præstantiam Pacis Relig.



Relig. & Westph. nimium quantum deprædicat. Num vero ipse non præpostero in Religionem nostram feratur odio, pronum est judicare ex injuria Pacis publicæ everfiva, qua omnes Sedi Romanæ adhaerentes, præcipue vero eidem Sanctæ Sedi juramento obstrictos, Principes Ecclesiasticos ad illius jugum (uti proterve ait) humeris decutiendum inducere conatur, in cit. Diff. de Zizaniis pag. 10. lit. P. formalia: „Episcopi sane Germani „ex veteri jure, quod laudavimus, Romano & „dignitate & jurisdictione æquales sunt, ut mirum „sit, quod jugum illius nondum decusserint, qui „& deinceps patientur facile cum Protestantibus, „ut suas Romæ res sibi habeat Pontifex, suaque

*se jactet in Aula*

*Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.*

Quis credat, PFAFFIUM, virum & judicii maturitate & literis excultissimum, tam ludicre nugantem! at prudenti viro risum hæc citius, quam bilem movebunt. Unde non est, quod calumniari volenti aliud replicem, quam ut propriis modestiæ regulis se teneri meminerit; quoniam ipsemet scripsit *in dem nöthigen Unterrichts. Antwort auf die 28. Frag. fol. 555. fq.* „Se nullo præpostero odio „ferri in Romanam Ecclesiam, vel Pontificiam dignitatem &c. Optare se se, ut Pontificem, tanquam summum universalis Ecclesiæ Doctorem, & tanquam vera credentem & docentem Episcopum satis deprædicare, & ad usque fidera posset extollere &c. Sibi non probari Protestantium scommata in Pontifices &c. Humanitatis leges „requi-



„requirere, ut major reverentia habeatur in tam  
 „vastam Ecclesiam, tot Regum matrem, in Caput  
 „Ecclesiæ summum, & magnum Italiæ Principem.  
 „Imo calumniam in Pontificem esse contra Imperii  
 „leges &c.„ Ita ille dictorum suorum non semper memor.

Insuper testatur in alleg. Dissert. loc. cit. Conscientiam illorum, qui Leges interpretandi norunt, (quam belle has ipse applicet vid. *infr. not.* [1]) num ex Matth. XVI. 18. 19. Joh. XXI. 15. 16. 17. exculpi possit Episcopi Romani in universam Ecclesiam Christianam suprema jurisdictio. Non est possibile, ait, ut, qui remotis præjudiciorum avitorum conspicillis, oracula hæc sacra contemplantur, in illis jura videat stabilita Episcopi Romani. Verius dixisset, qui adhibitis perspicillis Islebicis oracula hæc sacra intuetur. Aliter vident Catholici. Interim qui jura Summi Pontificis stabilita cupit inspicere, fontes Polemicos adeat, quos, intra meam spheram me continens, in hanc diatribam juridicam non derivo.

Id tamen silentio premere non possum, errorem CONRINGII esse, nulloque honore a D. Cancellario PFAFFIO reproductum, quod scil. per Canonem sextum Concilii *Niceni* (quem ibidem pro se allegat) non nisi in Ecclesias ad Diocesim spectantes *Romanam* jurisdictio tribuatur *Romano* Pontifici; nam lectionem hanc, quæ RUFFINI interpretationi innititur, commentitiam probat novissima Versio ex Græco apud R. P. MESNILIUM, citatum ab Adm. R. P. IGNATIO SCHWARZ S. J. in Universitate *Ingolstadt.* Histor. Prof.

II. Intimio rem Gravaminum ab utrique  
Religioni addictis motorum notitiam (f).

III. Juris Canonici solidam scientiam.

B

IV. Ex-

Prof. Celeberr. in Colleg. Histor. Part. V. qu. 6.  
pag. 531.

Unde ALLATIUS inquit: quid hic Urbicaria, &  
Suburbicaria somniamus, de quibus nec vestigium  
est in verbis Concilii. Quid, quod in *Nicæna* Syno-  
do expresse Can. 39. (quem Canonem legitimum  
esse probat ex S. ATHANASIO, MARCO, &  
JULIO I. Pontifice, EUGENIUS LOMBARDUS  
Lib. 2. §. 5. fol. 308. in *Regali Sacerdotio*) legitur:  
*Ille qui tenet Sedem Romæ, Caput & Princeps est omnium  
Patriarcharum, quandoquidem ipse est Primus, sicut  
Petrus. Et cit. Can. 6. Ecclesia Romana semper ha-  
buit Primatum, sicuti, refertur hic Canon a Concilio  
Chalcedonensi, quo lecto Patres dixere: Perpendi-  
mus omnem primatum & honorem præcipuum secundum  
Canones antiquæ Romanæ Sedis amandissimo Archi-  
Episcopo conservari. Add. Clariss. & Consultiss.  
Viri, D. ALEXANDRI HAMMERI, Prof. Publ.  
Ord. & Consiliarii Aulici Bambergæ, mei quondam  
in itinere literario per Protestantium Academias  
confecto individui focii juxta ac fidelissimi solid.  
Dissert. de Jure Fœder. & Sacror. in Diatriba 6.  
§. 8. per tot.*

(f) Unde infinita Germanorum Gravamina, præsertim  
*Norinbergensia* centum orta fuerint, neminem, nisi  
in

IV. Exactam Historiæ cum Ecclesiasticæ, tum Profanæ cognitionem, inprimis duorum posteriorum Sæculorum, quorum facta scire tanto magis interest, quanto magis illorum temporum fata nostram ætatem attingunt.

V. Genuinum Conceptum de Religione, ejusque propagandæ modo (g).

#### VI. Sana

in historia plane hospitem & peregrinum, latere possunt. Quæ tamen centum Gravamina, etsi vera, non probarent prætensam Reformationem, tanquam necessarium Pontificiorum abusu, in Imperio *Romano-Germanico* purgamentum, ut ait *FREDERICUS GEORGII*; sed hæc evaporata dudum obsonia & ab aliis compluribus passim recoquuntur hodie, ut prætensæ Reformationi suæ antiquam larvam obtegant. Et quamvis illa Gravamina, quandam partem, fuisse legitima, sincero calamo testantur Catholici, *Bzovius* ad Annum 1521. n. 35. *SPONDANVS* ad Annum 1523. n. 7. eadem tamen legitima legitimo modo per Pontifices *ADRIANUM VI. CLEMENTEM VII.* (cujus jussu per Legatum *CAMPEGIUM* reformatus *Germanie* Clerus, vid. *BZOVIVS* ad Annum 1524. n. 10.) ac præcipue Concilii *Tridentini* Decreta de Reformatione reformata sunt, quæ quia obvia omnium oculis obversantur, opus non est prolixius & sigillatim hic referre.

(g) Inanis est *PFÄFFII* metus, in *Disf. de Zizaniis* pag.

VI. Sana circa investigationem mentis  
alienæ, ac arti recte cogitandi rationandique  
convenientia principia (h). Dein

B 2

VII. In-

pag. 5. ne Ecclesia in speluncam latronum sit de-  
generatura, eo servato modo, quem statuit Con-  
cilium *Tridentinum* Sess. 24. si scilicet viri pietate  
morum, scientia & doctrina Evangelii, Historiæ  
Ecclesiasticæ, ac Conciliorum fide præstantes eli-  
gantur, qui a via veritatis aberrantes suaviter re-  
ducant, telis doctrinæ, pietatis & sapientiæ. Cum  
pertinacibus intrepide, cum falso zelo illis pie  
ac benigne, cum frigidis serio, cum dubiis clare  
ac confidenter, cum omnibus discrete & prudenter  
tractare studeant ac norint, & quibus vera sæpius  
Religio calumniose depingitur, falso præconceptas  
opiniones adimere allaborent. Vid. in terminis  
*Diff. mea de Tolerantia Divers. Relig. Cap. 2. §. 20.*  
& §. 22. in princ. Nam, quando ex altissimo  
Clementissimi Principis mei jussu Protestantium  
universitates perlustravi, quot hisce meis auribus  
egomet audiui, multa ut Catholica impugnare, quæ  
ipsi Catholici damnant; idque quod vel proposi-  
tiones non Catholicas, tanquam Catholicas pro-  
ponant, vel quod in propositionibus Catholicis  
verba sensu minus Catholico exprimant, uti de  
bonis operibus, merito, indulgentiis, cultu San-  
ctorum &c. sed hæc Theologorum Polemicorum  
exedris relinquimus.

(h) Add. R. P. JOSEPHI BRAUN S. J. Artis criticæ, &  
scien-

VII. Interpres ante oculos habeat, quæ hanc in rem tam salutariter monita cautaque fuere in laudabili Instr. Pacis (i). Item

VIII. Jura, quæ sunt mere specialia, non in generaliore sensu accipiat, & generales inde conclusiones deducat (k). Sed

IX. Exempla legem non facere agnoscat, iisque perpetuam normam non inverti (l). Porro

X. Licet

---

scientiæ Hermenevticæ Elementa. Anno 1737. hic Wirceburgi edita 4.

(i) Art. V. §. 50. *utriusque Religionis Magistratus severe & rigorose prohibeat, ne quisquam publice privatimque Concionando, docendo, disputando, scribendo, Consulendo Transactionem Passaviensem, Pacem Religiosam, vel hanc in primis sive declarationem, sive Transactionem uspiam impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias inde deducere conetur.*

(k) Sic E. gr. ea, quæ Art. V. Instr. Pac. Osnabrug. §. 3. de *Augustana Vindelicorum*, & aliis in d. §. nominatis Civitatibus circa numerum Senatorum constituta sunt, ne ad reliquas Imperii Civitates immediatas pertinent. HENNIGES ad d. §. lit. A. pag. 212. ad mediatas & municipales certe sine discrimine extendi nequeunt. BÖHMER Tom. I. Consult. & Decif. Jur. Resp. 8. n. 44.

(l) Contra utramque, hanc & priorem regulam pessime



sime impingit Author sæpe cit. Diff. de Zizaniis non evellendis pag. 17. in fin. ubi ea, quæ specialiter de Episcopo *Osnabrug.* Catholico in P. W. sancita sunt, ad alios Principes Catholicos injuriose extendit, quasi His in suos subditos Protestantes nihil juris circa sacra competeret. Cujus probationem ipsiusmet verbis hic attexere non pigebit: „Jam & „Art. 13. §. 8. cautum est, ne Episcopus *Osnabrugensis* Catholicus, licet superioritate quoque „territoriali gaudeat, quicquam sibi juris in A. C. „sacra arroget vel obtineat. Restricta itaque quoad „hoc caput in J. P. fuerit Principibus Catholicis „Superioritas, qua gaudent, territorialis. „ Ita ille loco citato. Pro Deum immortalem! si non sapimus secundum sobrietatem, sed contra Conscientiam & scientiam ingenio nimis affectato, quo non ruimus! & quo non labitur D. PFAFFIUS vir alias apprime doctus, si falcem suam Theologicam mittat in alienam messem Juridicam! eundem tamen errorem diu ante ipsum erravit *Anonymus* Anno 1696. Tractatu contra Serenissimi Electoris *Palatini* inductionem Exercitii Catholici, cui reponit Celeberr. *Rittmejerus* in *Vindiciis Juris Reformandi* fol. 40. seq. ibi: „Dieses aber ist von „unserem Authore eine grosse Vermessenheit „ (eadem & sibi a RITTMAYERO dicta putet D. PFAFFIUS, qui uti Summo Pontifici Nostro & dignitatem & Jurisdictionem supremam in Universalem Ecclesiam, vid. supra not. (e) ita quoque jurisdictionem Ecclesiasticam Principibus Catholicis in suos subditos Protestantes detrahare non erubescit. „Dass er, das Exempel mit dem Stiffi *Osnabrück*, als „einen

„einen Casum Specialissimum auf seine Seite anfüh-  
 „re, und darauf seine ungegründete Meynung erweisen  
 „will; da doch dieses Exemplum speciale, tanquam  
 „Exceptio a Regula das Jus Reformandi hauptsech-  
 „lich bestättiget. . . . Indem aber dieses nicht gesche-  
 „hen, sondern bey dem Stifft Osnabrück wegen der Al-  
 „ternation etwas sonderliches verordnet worden, Ex-  
 „ceptio & limitatio ratione Episcopatus Osnabru-  
 „genfis Constituta firmat regulam generalem, Jus  
 „reformandi scilicet in Casibus & reliquis Imperii  
 „Territoriis non exceptis. So alber es nun lauten  
 „würde, wann jemand also schliessen wollte: weilen  
 „einer Nabmens Ernst wegen eines Fuß-Schadens der  
 „lahme Ernest genannt wird: ergo müssen alle, die  
 „mit den Nabmen Ernest getaufft seyn, den Nabmen  
 „lahme Ernest führen, ob sie gleich gerade Schenckel  
 „haben. Eben so abgeschmackt ist es, daß weil einem  
 „zeitigen Bischoff zu Osnabrück, als Reichs-Fürsten,  
 „Dero Superioritas Territorialis ratione Juris re-  
 „formandi aus gewissen angezogenen Politischen Re-  
 „flexionen gleichsam gelähmet worden: So müssen alle  
 „übrige Con-Status gleich also tractiret werden, ob  
 „gleich Ihnen die Landes-Fürstliche Hochheit auf sol-  
 „che Weiß nicht eingeschrencket worden. NB. Un-  
 „tere Schul-Knaben wissen es ja, was dieses vor  
 „eine elende Folgerey seye, wann man a parti-  
 „culari ad universale argumentiren will. Civitati  
 „Hildesienfi (pergit ille) ad idem Exemplum pro-  
 „vocanti Illustrissimus Comes de VOLMAR re-  
 „spondit: Nec est, quod Hildesienfes a simili argu-  
 „mententur, cum in Art. 13. §. 8. legunt, Statum  
 „Ecclesiasticum Episcopatus Osnabrugensis juxta  
 „Anni



„Anni 1624. restaurari debere. NB. Nam quod  
„ibi singulari cum Ducibus *Brunswicensibus Lun-*  
„*burgensibus* pactione Conventum, ad Exem-  
„plum trahi nec debet, nec potest. „ Responf.  
literas in extenso exhibet prælaud. RITTMAYER  
fol. 15. seq.

Habet & alias objectiunculas Doctissimus PFAFFIUS, quas in ead. *Diff. de Zizaniis*, pag. 17. refert. Ibi: „sed sit ita, pertineat ad Superioritatem Territoriale Jurisdictio Ecclesiastica, non quadrare tamen illa videri possit in Principes Catholicos, „quos a negotiis Ecclesiasticis sub pœna excommunicationis abstrahit Jus Canonicum „, *quæ una*: quos Salva Conscientia eandem ad mentem „A. C. quam damnant, eorumque, quos putant „hæreticos, exercere, atque Gregibus sacris Pastores lupos & latrones, animas falsis doctrinis „suis perdituros præficere posse, comprehendî „haud potest, „ *quæ altera* suæ Conclusionis ratio est ac probatio. Affingit insuper mihi Cacotechnia sât illiberali pag. 16. hanc hederam: „Crederes Calamum esse Jcti Protestantici, qui hæc pîngat, & Juri Canonico, & principiis Catholicorum e diametro contraria: „ Mirum! Calamus meus ex asse Catholicus, velit nolit, debet esse Protestanticus; quod, quam falsum sit, remotis perspicillis Islebicus nemo non videt ex mea *Diff. de Toleratia divers. Relig. Cap. 2. §. 13. pag. 51. seq.* si placet, præstantissime PFAFFI Art. V. §. 30. J. P. W. atque Jus circa sacra (cujus pars est Jurisdictio Ecclesiastica) competere Statibus immediatis cum Superioritate Territoriale ex usitata Imperii



perii Praxi in subditos A. C. oppido deprehendes. Quæ tamen neutiquam de Statibus Catholicis sæcularibus respectu subditorum ejusdem Religionis intelligenda veniunt. Vides igitur, quam longe discesferis a genuino, eoque aperto sensu Dissertationis meæ, quæ duntaxat vult NB. cum Superioritate Territoriali ex usitata Imperii Praxi, secundum J. P. W. juxtaque principia a Protestantibus suppeditata Statibus sæcularibus Catholicis jurisdictionem Ecclesiasticam tribui in suos subditos A. C. addictos, quam in suæ Religionis subditos sibi non arrogant juxta ductum Juris Canonici, & principia Catholicorum. Proinde discere hic quoad subditos Catholicos judicari secundum Jus Canonicum; sed quoad subditos A. C. addictos procedi juxta Instr. P. W. & Dominorum Protestantium principia; Eosque Exceptione de Jure tertii, vel vestra non interest, repelli.

Quodsi enim vi hujus Pacificationis Status A. C. qui etiam meri sunt Laici, omnimoda facultate gaudeant jurisdictionem Ecclesiasticam cum Superioritate Territoriali exercendi, omni adhibita mentis acie pervidere nequeo, cur Status Catholici sæculares deterioris esse conditionis, atque pari iure in subditos suos Protestantes destitui debeant, quoniam tantum abest, ut Tabulæ Pacis *Osnabrugensis* inter Status diversæ Religionis faciant distinctionem, ut potius in *Art. V. §. 48. Vers. Catholicorum.* eosdem æquiparent, & signanter in potestatem Ecclesiasticam Catholicis tribuant in subditos alterius Religionis. Denique quomodo C. PFAFFIUS una cum Statuum Catholicorum subditis Protestantibus

stantibus, & hi cum illo provocare volunt ad Jus Canonicum, ac exinde utilitatem quandam pro se contra Dominos Territoriales Catholicos derivare, cum minime agnoscant Jus & forum Summi Pontificis? quis hic non jure exclamet: *Risum tenentis Amici!* revera frustra invocant auxilium legis, quam respuunt.

Add. Clariss. D. GEORGII FRID. ZEHNER U. J. D. Jud. Provin. Francon. Consulentis &c. ob suam suavem & præclaram ex omnigeno, præcipue vero Jure Publico proponendi methodum Facultati Nostræ Juridicæ Commendatissimi Resolutio *Quest. Inaug.* Anno 1737. hic edita 4. *De Usu Jurisdictionis Ecclesiasticæ Dominis Territorialibus secularibus Catholicis in subditos A. C. addictos Competente.* Super eadem materia legi quoque merentur Author Anonym. in *Tract. de Statuum J. R. G. Jure Reformandi.* Jam laud. CHRISTIAN. RITTMAYER in *Vindictis Juris Reformandi oppositis Sinceri; Die auf das allerbest gegründete Jurisdiction Ecclesiastica Catholischer Lands-Herren über ihre Protestirende Untertanen.* Auth. Anonym. *Gesetz-mäßige Beantwortung der Frage: Ob ein Catholischer Land-Herr in Teutschland die Jurisdictionem Ecclesiasticam über die in seinen Land befindliche der Augspurger Confession verwandte Untertanen zu exerciren befugt seye?* apud FABRUM in *seiner Europäischen Staats-Cantzley* Tom. 47. p. 387. SINCERI *Gesetz-mäßige Widerlegung der sogenannten Gesetz-mäßigen Beantwortung.* PHILALETI *unpartheyische Gegeneinanderhaltung obiger Schriften des SINCERI und Auth. Anonym. & reliqua scripta, quæ exhibet FABER* Tom. 47. *seiner Staats-Cantz-*

C

ley

ley pag. 359. & seqq. BÖHMER in suis Consult. &  
 Decis. Jur. Ecclesiast. & Publ. Tom. I. Consultat. 16.  
 Quid autem porro Causæ sit, cur Doctissimus P P A F -  
 F I U S suos Authores Protestanticos (quos vid. in  
 Consil. Tubing. Tom. 3. Conf. 280. n. 6. & 67. - 71.  
 & n. 102. & Tom. 6. Conf. 10. n. 23. & 30. in fin. &  
 Consil. II. q. 1. & 6. per tot. qui jurisdictionem Ec-  
 clesiasticam e Superioritate Territoriali fluere do-  
 cent) deserat, & in sæpe cit. *Diff. de Zizaniis non*  
*evellend.* pag. 16. 17. eandem a Collegio Ecclesiastico  
 in Principem Territorialem transferri, cum BÖH-  
 MERO in *Præloq. de System. universi Juris Canon.* p. 19.  
*præmissio* Tom. V. *Jur. Eccles. Protestantium* nova au-  
 thoritate & absque sufficiente ratione contendat, in  
 aprico est, ut nempe vel sic potestatem exercendi  
 Jurisdictionem Ecclesiasticam detrectet Statibus  
 Catholicis in subditos A. C., utpote ab his qua  
 Collegio Protestantico Ecclesiastico in illos non æque  
 transfundendam. Confidentius loquitur BÖHMER.  
 cit. loc. in verbis: „Hæc *presumpta* autem *abdica-*  
 „*tio* illis tribui nequit Ecclesiis, quæ sub Principe  
 „*diversæ Religionis* subsistunt, a quo infinita obsta-  
 „*cula* illis imminent non raro, ut proinde non cen-  
 „*seantur*, ei libertati renunciasse, quo omnia Colle-  
 „*gia* gaudent. „ Verum a vero aut P P A F F I I, aut  
 BÖHMERI gratia ne latum unguem discedimus;  
 neque enim *D. Cancellarii Tubingensis*, neque *D. Di-*  
*rectoris Hallensis* autoritas oculos nostros ita ob-  
 fascinat, ut, aut quid recte, aut quid perperam ab  
 ipsis dicatur, nullibi videre queant.  
 Jam ad alteram objectionem: „qua Principes Catho-  
 „licos salva Conscientia Jurisdictionem Ecclesiasti-  
 „cam

„cam ad mentem A. C. quam damnant, eorum-  
 „que, quos putant hæreticos., (ita PFAFFIUS,  
 „ego equidem bene memor sum Instrumenti Pacis) „exer-  
 „cere atque gregibus sacris Pastores lupos & la-  
 „trones, animas falsis doctrinis suis perdituros præ-  
 „ficere posse, comprehendi haud posse „ arguit  
 vir perspicacis ingenii PFAFFIUS. Sed fit ita,  
 quod si enim sincerus PFAFFIUS ultro sic velit,  
 pertinacius quis refragabitur? propterea tamen  
 in data hypothese Pacis Religiosa, ubi tolerare no-  
 vam Religionem urgens necessitas compellit, prin-  
 cepti peccati non est arguendus, si Consistoria Aca-  
 tholica instituat, ordinationes sacrorum Religio-  
 ni toleratæ Conformes præscribat, reliquaque per-  
 agi jubeat, quæ A. C. additi ex decantata illa, de  
 qua sibi mirifice plaudunt regula, *cujus est regio,  
 illius religio*: in suos subditos jure Superioritatis  
 Territorialis exercent. Nam imo: quando fata-  
 lis necessitas tolerantiam alterius Religionis justifi-  
 cat, interest veræ Religionis suspensa jurisdictione  
 Ecclesiastica, Principem habere Constitutiones  
 circa toleratæ Religionis sacra condendi potesta-  
 tem, hoc enim modo præcaveri potest, ne po-  
 pulus Novitia Religione imbutus in plurium  
 novorum articulorum doctrinam abripiatur. Ne-  
 que 2do: dici potest in dato Casu Princeps ad  
 alterius Religionis quasi fulcimentum cooperari;  
 siquidem, ejusmodi Ordinationes Confessioni in-  
 dultæ præscribendo, non intendit illius veritatem,  
 aut sacra, quasi legitima essent, approbare, utpote  
 qui propriam Religionem tanquam veram palam  
 profiteri noscitur, sed eo duntaxat ordinem Aca-  
 tholi-

X. Licet Pax *Westphalica*, si de Religionis *diffidiis amicabiliter conveniri non possit*, nihilominus *perpetua sit, & semper duratura*, conditionis tamen, in qua cunctæ res humanæ sunt constitutæ, memor sit, oportet (m). Denique

XI. Cum

tholicis præfigendo collimat, ut novis articulis limitem & certum modum tranquillitatis publicæ causâ constituat. Atque hæc ratio est justificandi institutionem Ministrorum, & Consistoriorum diversæ Religionis &c. in his etenim nec activæ & formalis cooperatio alienæ Religionis involvitur, sed permissio duntaxat, & materialis quædam opera.

- (m) Nemo etiam existimet hanc formulam frustra Instrumento Pacis insertam esse; Catholici enim vero circa libertatem Religionum, & retentionem bonorum Ecclesiasticorum limitatum tempus definire, e. g. ab initio 40. deinde 100. annos Protestantibus indulgere cogitaverant; His vero definito ejusmodi tempore acquiescere nequaquam volentibus & præpotentibus, maluerunt Catholici prædictam clausulam, utpote perpetuitatis limitativam, quam simpliciter voculam *perpetuo*, vel *in perpetuum* pro termino medio poni, cum ut notam Characteristicam absolutæ perpetuitatis, antiquæ Religionis Competentis, præservarent, tum ne eidem Religionis in perpetuum e partibus Protestantium exilium indictum, tum denique, ne bona Ecclesiastica

XI. Cum Catholici ex antiquissima & immemoriali possessione jus acquisitum habent Fidei, Religionis, Bonorumque Ecclesiasticorum, *quidquid ipsis expresse non ademptum, id omne manere concessum*; Econtra

XII. *Quidquid Confessionistis* (qui se noviter intruserunt, & cum repelli non possent, tolerati sunt (n) etiam promissione facta, propter necessitatem) *expresse non concessum, id omne illis videri denegatum*; utramque regulam notet tanquam universalem, fundamentalem a Protestantibus elisam nunquam, nec elidendam unquam, vel eludendam.

Bonitas harum Regularum clarescit imo ex Declaratione Authentica Ferdinandi I. (o), ubi legimus: Declaratio Pacis Religiosæ Majestati Regiæ Ferdinando I. neces-

C 3

saria

stica quoad titulum Dominii & verum usum juris in protestantes transcripta esse viderentur. Add. supr. laudati Viri verè Reverendi ac Consultiss. D. JOAN. CASP. BARTHEL Collegæ honoratiss. *Diss. de Histor. & Generalibus Pacif. Imp. art. 4. in fin.*

(n) Confer. integra mea *Diss. de Tolerantia diversarum Religionum.*

(o) Resolutio Ferdinandi I. in Comitibus Augustanis data & lecta 30. & 31. Augusti Anno 1555. *Ibr Kœnigl.*

faria visa est, sic, ut quæ expressissime non concessa, aliorum interpretatiunculis non extendantur &c.

2do. Probatur universali legum tenore, & Juris-Consultorum unanimi consensu, cui contradicere nemo potest. Sic juxta Leges Civiles, quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentias (p). Nam hoc jus, quod contra rationem Juris propter utilitatem introductum est, singulare appellatur, in quo non possumus sequi regulam juris (q).

Item quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi (r).

Item quæ specialiter quibusdam concessa sunt Civitatibus, vel Provinciis, vel Corporibus, ad Generalitatis observantiam non pertinent (s).

Sic

Königl. Majest. bedenckens für billig, und allen friedlichen Wesen nutz und nothwendig, daß diese Constitution (des Religion-Frieden) wie auch oblauret klar und lauter gemacht werde, und das so ausdrücklich nicht bewilliget, durch disputirliche Wort und Meynung nicht hinein komme, damit mehrer Zanck, Witterung und Unruhe verbütet bleiben &c.

(p) L. quod vero 14. ff. de LL.

(q) L. in his 15. L. ideoque 27. L. denique 32. ff. de LL.

(r) L. quæ propter 122. ff. de R. J.

(s) L. leges in fin. C. de LL.



Sic Theodosius & Valentinianus Impp. Quid-  
quid, ajunt, hac lege specialiter non videtur ex-  
pressum, id veterum Legum Constitutionumque re-  
gulis omnes relictum intelligant (t).

Quæ omnia confirmantur a Glossis (u),  
Juris-Consultis Bartolo (x), Baldo (y), Hie-  
ronymo Schurffio, Lutheri quondam in  
Comitiis Spirensibus Advocato (z), una cum  
aliis (aa), & communi Canonistarum (bb).  
Jam vero Augustanam Confessionem seu  
Lutheranismum usque ad annum 1552. fuisse  
semper Jure tam Ecclesiastico, quam Imperii  
publico, secundum Communem Legum di-  
spositionem prohibitum, damnatum, con-  
stat ex actis Imperii publicis, & priorum sæ-  
culorum historia tam evidenter docet, ut  
qui

(t) L. Præcipimus 32. §. fin. C. de Appellat.

(u) Gloss. in L. Maritus 21. C. de Procurat.

(x) In L. Extraneus 6. ff. de Condit. ob Cauſ.

(y) In L. Maritus n. 1. & Gloss. in L. ult. C. de pact.  
Convent.

(z) Centur. 1. Conf. 55. n. 4.

(aa) DD. in L. Jus Singulare 16. ff. de LL.

(bb) In Cap. 2. de Translat. Episcop. ubi Imola n. 19. &  
Panormitanus n. 37. docent: quod si versetur in ma-  
teria suapte genere prohibita, quidquid in ea non  
reperitur Concessum, censeri debet prohibitum.

qui illud negent, in plena luce ultro cæci esse velint.

Nam Religiosissimus Imperator Carolus V. restitit acriter satis serpenti malo, diffidio Religionis, ac primum quidem Wornatiæ An. 1521. ab incepta doctrina & fide nova absterrere Edicto contendit quoscunque (postquam pro pace pluribus concalatis Comitii laborasset quoque viriliter, uti ex Re-cessibus Imperii videre est) duo Edicta iterum exceperere Anno 1529. Spiræ, contra quæ, quia protestati sunt, PROTESTANTIVM diversæ Religionis Consortibus obvenit nomen. Anno subsequente experturus Augustiss. Imperator si vel ita reunire mentes posset, in Comitii *Augustæ Vindelicorum* celebratis data fide, cuilibet Fidei suæ Articulos offerre permisit, Cujus & sua Confessio a Protestantibus, compilatore *Melanchtone*, S. Cæs. Majestati exhibita est (a qua *Confessionistæ* five *Confessione Augustanæ* addicti appellantur) refutata a Catholicis Theologis, ab Imp. rejecta; eapropter 22. *Decembris*, atque iterum Anno 1531. 29. Martii Congregantur Smalkaldii Protestantes, inituri fœdus contra S. Cæsaream Majestatem, Quæ Anno 1532. eoquod

eoquod auxiliares suas, adversus Turcam Germaniæ potentissimo exercitu imminentem, Confessionistæ denegarent suppetias, retractare Decreta, publicam sancire Pacem, ne ulli ad Concilium usque, Religiones ergo inferretur molestia, cogebatur. Fuerunt hæ Protestantium artes, queis crevere, provocarunt ad Concilia continuo, sed quam subdole felices morati sint cceptus, testes sunt Historiæ.

Nil fructuosi operatus Imperator, donec tandem *Ioanne Friderico Saxone, & Philippo Hassõ*, felici Captis Marte, An. 1546. Librum istum INTERIM, divulgari, & a plerisque recipi fecit, ut vel sic dissentientes reconciliaret animos (cc).

Videbatur jam meliusculum habere Germania, optima pristini affulgebat spes nitoris; ast mutatus subito *Mauritius Saxo*, Imperialis immemor Clementiæ, excludens animo præstita Beneficia (Substitutus namque fuerat *Friderico* capto ab Imperatore) Galliarum Regem, *Albertumque Brandeburgicum* clam in  
 D auxi-

(cc) §. Und damit nun also, in Recept. August. de Anno 1548.



auxilium contra Cæsarem ciet, ipsumque cum *Ferdinando* fratre Oeniponto fugat in Carinthiam, se Germanicæ vindicem asserens libertatis. Ex tam subito periculo subitum iniens Consilium *Ferdinandus* Rex Roman. (crescebant enim Turcæ intentanti aciem Germaniæ, ex interno hoc bello, vires externæ) certis conditionibus cum *Mauritio* transegit *Passavii* Anno 1552. quæ transactio postmodum Augustæ Vindelicorum Anno 1555. confirmata & aucta est inter Regem *Ferdinandum* nomine Imperatoris, reliquosque Imperii Status. Hucusque de *Luthernismo*. *Calvinismum* quoque reprobatum fuisse ab ipsis Confessionistis ad usque Pacem Westphalicam (dd), constat ex ipsa pace Religio-

(dd) Art. VII. §. 1. Unanimi quoque Cæsareæ Majestatis, omniumque Ordinum Imperii Consensu placuit, ut quidquid juris aut beneficii, cum omnes aliæ Constitutiones Imperii, tum Pax Religionis, & Publica hæc Transactio, in eaque Decisio Gravaminum, cæteris Catholicis, & Augustanæ Confessioni Addictis Statibus tribuunt, id etiam iis, qui inter illos reformati vocantur, competere debeat.

Fuit

Religiosa (ee), ubi dicitur: *veruntamen alii omnes, qui alterutri duarum Religionum (puta Catholicæ & Lutheranæ) addicti non sunt hac pace non comprehensi, sed penitus exclusi esse debeant.*

Consentaneum id erat Instructioni (ff), quam Carolus V. Commisfariis ad Religionis Pacificationem destinatis tradiderat. Idem liquet ex Recept. Imp. de Anno 1566. (gg), &  
D 2 Actis

Fuit sane hæc res difficilis & impedita transactionis, antequam sic placuerat, inprimis Electore Sax. multum diuque reclamante & per Legatum suum LAUBERUM hac de re die 14. & 24. Junii 1648. solennissime protestante. Cujus Protestationis formulam vid. apud *Buckisch.* ad I. P. Art. 7. observ. 1.

(ee) §. 17. *Doch sollen alle andere, so obgemeldten beyden Religionen nicht anhangig, in diesen Frieden nicht gemeynt, sondern gantzlich ausgeschloffen seyn.*

(ff) Cap. Von etlichen anderen dienstlichen Punkten. *Ibi: Daß alle diejenige, so andern verführischen verderbten Secten anhangen . . . keineswegs geduldet, sondern durch ein offen Edict vertrieben und ausgereutet, und dadurch weiterer Abfall des Glaubens und Christlichen Religion, so viel möglich fürkommen würde.*

(gg) §. 5. *Auf daß aber in mittler Zeit den Verführischen je lenger je mehr beyden, der alten Religion und*  
Aug.

Actis publicis (hh). Tandem vero necessitate simili cogente sub titulo Confessionis Augustanæ & Calvinismus receptus est in P. W. haud absque limite, secus enim restrictiva Clausula Art. VII. §. 2. tam provide inserta omnino foret frustranea.

Quo-

*Augsburgischen Confession zuwider einbrechenden Secten und Opinions kein Raum noch Statt gelassen, sondern dieselbe von dem Heil. Reich Teutscher Nation unserm geliebten Vatterland abgewendet werden: So haben Wir Uns mit Ihnen den gemeinen Ständen, und Sie sich herwieder mit Uns verglichen, daß solcher Secten und Opinions so, wie gemeldt, sich von beyden, der alten Religion, und Augsburgischen Confession abscindern, oder denselben zuwieder seyn, vermög des Religion-Friedens keine gelitten noch gedult, sondern allenthalben der Gebühr und dem Religion-Frieden gemäfs gänzlich abgeschaffet werden.*

(hh) Legi in hunc finem merentur, in Comitiiis ejusdem Augustaniis Anni 1566. acta Confessionistarum contra Fridericum Electorem Palatinum, ejusque Protestatio die 31. Maji.

Item Decretum Cæsaris MAXIMILIANI II. in Causa Episcopi Wormatiensis contra eundem Palatinum Electorem eod. mense, die 14. lectum, ubi prope finem. *Nachdeme sein Churfürstl. Gnaden sich zu erinnern*

Quoniam igitur præter Religionem Catholicam, quæ semper viguit, & præter successively receptas Confessiones, favere aliis Sectis, communibus legibus interdicitur (ii), non sine admiratione observavi Insignem de reliquo PFAFFIUM asserere (kk): non prohibetur alius Religionis tolerantia absoluta... id quod jubet Conscientiæ libertas, quam salvam quoque I. P. vult Art. V. §. 16. 34. 48. Art. VII. §. I. Certe, *pergit ille*, hæc mens Protestantium est, qui clausulam: (ll) *præter Religiones supra nominatas nulla alia vel recipiatur, vel toleretur*, a Catholicis suppeditatam

D 3

*innern wissen, was Ihr Kayserl. Majest. derselben hievormahls von wegen gemeiner Einführung des Calvinismi in seiner Churfürstl. Gnaden Landen und Kirchen schriftlich zu erkennen geben, in Krafft des Religions-Frieden davon abzustehen ermahnet und befohlen, dieweilen aber Ihre Majest. nun vermercken, daß solches bishero von Ihr Churfürstl. Gnaden nit beschehen, und ange-regten Ihrer Kayserl. Majest. Befelch nicht gehorsamet &c.*

(ii) P. R. d. §. 17. R. J. de 1566. d. §. 5. P. W. d. art. 7. §. 2.

(kk) In supr. cit. *Diss. de Zizaniis non evellendis.* pag. 25.

(ll) Sæpe cit. Art. VII. §. 2. I. P. O.

tatam alio sensu admittere haud potuere. Idem docent plurimi ibidem citati (mm).

Inter quos alii (nn) non Incelebres apud suos existimant, Clausulam hanc, eandem ob rationem, quia a Catholicis suppeditata, non obligare Protestantes, sed stringere solos Romano - Catholicos vi suorum principiorum (oo); unde illi Conscientiæ libertatem urgent esse vere autonomicam, h. e. exlegem (pp). Verum

(mm) STRYCK. de Cautel. testament. Cap. 3. §. 8. p. 80.  
HENNIGES in Meditat. ad I. P. p. 866.

BÖHMER in Jure Eccles. Protest. Tom. I. p. 55. seqq.  
Tom. II. p. 34. seqq. Tom. IV. p. 1022. seq.

TREUER. in Parergis *Götting.* Tom. I. L. 2. n. 2. §. II.  
p. 46.

FLEISCHER. in Diss. de Jur. Reform. & Emigr.  
§. 25. p. 90.

ZECH. in medit. de Jur. Reform. p. 327. sq.

(nn) THOMAS. ad MONZAMB. 255.

GUNDLING. in dem *Discurs über den Westphälischen Frieden* p. 423.

CHRISTIANUS DEMOCRITUS in der *gelebrt. Zeitung* I. Stück p. 34. seqq.

(oo) Add. BRUNNEM. in Exam. Jur. publ. Cap. 6.  
Generali axiom. 5.

(pp) Protestantes passim, præcipue ante citati, quibus addi possunt GERARDUS NOODT *JCtus Batavus*, & LIEBENTHAL.





Verum enim vero nec tenuem mentem meam, nec cujuscunque veridici sanum reflexum effugere potest, quo animo & super quibus Religionibus, aut super qua Conscientiæ libertate per summos Paciscentes statutum fuerit, quæ Confessiones præter firmam antiquam Religionem oblata, ac cum constanti aliarum rejectione receptae fuerint. Ficulneum est oppido dicere, quod clausula ideo non obliget, quia non a trium Religionum Affectis uno ore proposita aut suppeditata esset, quæ tamen unanimi Consensu transactioni inserta legitur. Quæ, quæso! Paci Westphalicæ, æneo huic libertatis Germanicæ muro supererit vis, si post quædam lustra, quæ verbis sonant, factis contra aperta pactorum verba positis, obligatione non reciproca dissonarent? Pacta debent esse mutua, & Transactiones ultro citroque obligatoriæ. Sed cum Protestantibus familiare sit, meridiana etiam luce sine corpore quærere umbras, nescio quibus coloribus, & Candido simul Atroque junctis, torqueant sine sensu sensum sæpe dictæ clausulæ. Quo non contradicte, Sectæ omnes in Imperio tutæ nidulari, quin imo pleraque schismata de-  
forme



forme Corpus vultumque, Augustanæ Confessionis fictitia ac variata veste possent exornare, & τὴν Περικλυμένην, non secus ac olim sub ejusdem Confessionis pallio Calvinismus ad usque Westphalicam Pacem male, quia contra pacta, delituit; quod & Augustanæ Confessionis probrosum, & utrique Paci cum *Religiōsæ*, tum *Westphalicæ* foret derogatorium. Hem vero, quanta animi alacritate intraremus jam campum disquisitionis, qua ad amussim veram Religionis & Conscientiæ libertatem demonstraremus, & AUTONOMIS-  
TARUM principia refelleremus, si ratio temporis, si præsens nostrum id ferret institutum.

F I N I S.



POST.





# POSITIONES

EX  
JURE NATVRÆ ET GENTIUM.

## I.

**J**us Gentium, quod optima definitione a D. GLETT-  
LE *1. pari. Pandect. q. 1. n. 5.* tradita definimus esse  
conventionem, qua gentes qua tales obligatione  
mutua consociantur in ordine ad ea, quæ ad com-  
munem Ipsarum felicitatem pertinent, a Jure naturali  
adæquate distinguitur *contra SCHAMBOGEN ad Tit. 2.*  
*Lib. 1. Instit. q. 5.*

## II.

Ex quo Jure Originem habeat præscriptio, an ex  
Jure naturali, Gentium, aut humano positivo tantum?  
controvertitur inter D. D. probabiliorem judicamus  
sententiam P. PICHLER statuentis præscriptionem  
quoad originem suam esse Juris Gentium, contra P.  
KÖNIG, SCHNEIDEWIN: licet quoad determinatio-  
nem temporis & formam præsentem *ad Jus Canon. cap.*  
*fin. de præscript. & Jus Civile L. 1. ff. de Usurpat. & Usucap.*  
reducatur.

## III.

Præscriptio utut alias rerum suarum incuriis odio-  
sa, si tamen Legibus fuerit conformis, Dominium tri-  
buit tum pro foro interno, tum pro foro externo.

E

IV. Di-

## IV.

Divisio rerum Communium ab initio vel distinctio Dominiorum facta est partim privata occupatione, partim publica sortitione, idque licitissime contra Apostolicos Sæcul. III. ab Encrataris & Novatianis propagatos.

## V.

Etsi qui sint, qui tenerioris Conscientiæ, ut sibi videntur scrupulis agitati negant, potuisse hodie summos Principes rationabilibus de Causis, quas, si peritum fuerit, allegare haud injucundum erit, licite subditis suis adimere jus venandi, affirmativæ tamen lubentissimo Calamo subscribimus, non tamen altefatos Principes obligatione illos servandi indemnes prorsus eximentes.

## EX JURE CANONICO.

## I.

Utrum valeat matrimonium sub conditione vel modo servandi castitatem vel nunquam petendi aut reddendi debitum conjugale, ingens Controversia est. Negant PP. LEYMANN, PIRRHING, SANCHEZ cum THOM. affirmant PP. ILSUNG, KRIMER cum Abulens. VASQ. quorum etiam sententiæ subscribimus.

## II.

Privilegio immunitatis Ecclesiasticæ gaudent etiam Canonissæ sæculares in communi viventes, vulgo *die Stifts-Fräulein*, quarum Virginitatis Nobilium exempla plurima dantur in Germania v. g. *Landavii, Ratisbone,* ut & in hac ipsa Ducali Civitate *Wirceburgensi*.

## III. Sunt

## III.

Sunt, qui ex textu *Deuteron. Cap. 32.* ubi scriptum est: *non faceraberis fratri tuo*, usuras non jure divino prohibitas putant, sed eas ad majus malum evitandum a Deo concessas esse. *CONRAD. de Contract. q. 24. Colum. 2. Hostiens. in summa tit. de Usur.* nos vero de jure tam divino quam naturali & humano usuras mere lucratorias prohibitas esse censemus; dantur tamen tituli quidam usuræ vitium pro utroque foro purgantes.

## IV.

Clericis competit absolutum bonorum patrimonialium vel quasi patrimonialium Dominium, neque hoc illis denegandum est de fructibus ex beneficio Ecclesiastico provenientibus tum ad congruam sustentationem necessariis, tum superfluis, licet hos ex præcepto Ecclesiastico in causas pias erogare teneantur.

## V.

Ex Commissione summi Pontificis sacerdos simplex potest administrare Sacramentum Confirmationis.

## EX JURE CIVILI.

## I.

Exceptionem non numeratæ pecuniæ ita competere credunt *SCHEIDEWIN. ad tit. de Lit. obl. n. 2. & UNGEBAUER exercit. Justin. II. q. 9. pag. 30.* ut etiam post elapsum biennium opponi possit, si nimirum onus probandi in se quis suscipere & liquido probare velit, pecuniam sibi numeratam non esse, quibus & nos Cal-

E 2

culum

culum adjicimus *contra HUNNIUM Lib. 3. variar. resol. tract. 6. § HARPRECHT ad tit. Instit. de lit. oblig. n. 12. qui hoc ex L. si intra §. C. de non num. pecun. negandum putant.*

## II.

Pupillus sine auctoritate tutoris contrahens & locupletior ex illo contractu non redditus ne naturaliter quidem obligatur obligatione vera; neque potest pupillis abs tutoris auctoritate adire hæreditatem utut pinguem & lucrosam; concurrentibus tamen certis Circumstantiis quandam ex dilecto contrahit obligationem.

## III.

Possessor tum b. tum m. f. fructus adscitios seu mere industriales irrevocabiliter suos facit.

## IV.

Huc recurrit famosa illa quæstio & Canonistis & J. C. peritis multum difficultatis faciens: an Possessor b. f. fructus consumptos irrevocabiliter suos faciat, locupletior licet exinde effectus non fuerit, cui haud illubenti calamo affirmative subscribimus.

## V.

Testamentum debitis solennitatibus destitutum nec in foro fori, nec in foro poli obligationem producit.

## EX JURE PUBLICO.

## I.

U<sup>sus</sup> Jurisdictionis Ecclesiasticæ, de quo occasione Ducis Megapolitani, qui ad Catholicam transit Religio-

ligionem, Anno 1664. in Comitibus prima Controversia, & altera deinde ob introductum in Electorali Palatinatu Religionis Catholicae exercitium Anno 1696. noviter mota est, Principibus ac Dominis territorialibus secularibus Catholicis in subditos August. Confessione addictos revera vi legum Imperii fundamentalium competit.

## II.

Decipiuntur ii, qui initium Collegii Electoralis referunt ad Gregorium V. & Ottonem III. siquidem institutio serenissimi hujus Collegii longe posterior est Gregor. V. & Ottone III. interim medio circiter Saeculo XIII. sub Imperio Friderici II. septennarius Electorum numerus prevaluit; Consilio tamen Lugdunensi ejus institutio perperam adscribitur, hinc cordate asserimus, Collegium Electorale nonnisi usu & Consuetudine primum coaluisse, donec Carolus IV. Anno 1356. Bulla aurea sanxerit, ut firma haec Electionis forma in perpetuum maneret.

## III.

Cum multum Religio orthodoxa in transactione Passaviensi de An. 1552. Pace Religiosa Augustana de An. 1555. ac Instrum. Pacis Westphalicae de An. 1648. passa fuerit, de harum Pacificationum justitia celeberrima est controversia; nos cum CARAMVELE de pace licita per tot. D. ab ANDLER in Jurisprud. qua priuata lib. I. tit. I. p. 2. D. KRESSER in Dissert. Polit. de Domo Habsburgo - Austriaca quaest. 2. BUKISCH ad Instr. Pac. Art. 5. observ. 4. contendimus praefatas pacificationes ab Imperio Romano sublata-

per necessitatem lege licitissime iniri potuisse non ob-  
stante querela Pauli III. Pontif. Max. & Protestatione  
FABII CHIGII Episcopi Neritonensis ac Nuncii  
Apostolici, deinde Alexandri VII. Pontificis Maximi  
ut & Bulla Innocent. X. contra Pacem Westphal. die  
26. Novembris 1648. publicata, quæ tamen protesta-  
tio Alexandri VII. abs omni effectu non est.

## IV.

Prima Capitulatio solennis in Electione Caroli V.  
condita fuit, nec ad anteriora tempora qua talis revo-  
cari potest, quibusnam autem competat Jus proponen-  
di Capitulationem ac super ejus capitibus paciscendi  
cum electo, nulla expressa lege cautum est.

## V.

Tam diu durante super jure ad capitulandi Con-  
troversia Electores inter & Status Imperii salutariter  
constitueretur Capitulatio perpetua, quam gloriosis-  
sime defunctus Imperator Carolus VI. Articulo 30.  
sponspondit.

## EX PRAXI SUPREMORUM DICASTERIORUM

**V**isitatio Camerae sunt Conventus, in quo Impe-  
ratoris Commissarii & Statuum deputati in de-  
fectis Camerales tum ratione personarum, tum pro-  
cessus juxta leges publicas inquirunt, simulque Revi-  
sionibus sententiarum funguntur. *Ordin. Camer. part. 1.  
tit. 50. Revers. Noviss. §. 128. & seqq.* & utilis sane imo  
maxime



maxime necessaria est frequens similis visitatio teste  
 NITSCH. *ad Capit. Josephin. art. 41. pag. 632.*

## II.

Personæ, quæ immediate imperio subsunt, regulariter in Camera conveniendæ sunt in prima instantia nisi *imo* Jus Austregarum habeant, *2do* Causa ad Cameram non pertineat, *3tio* a Jurisdictione ejus exemptæ sint, ut Lotharingiæ, Burgundiæ, Austriæ Dux, *4to* nisi specialia obstant Exemptionis privilegia v. g. in Civitate Norimbergensi, Wormatia, Ratisbona, Memminga, Eslinga, Reutlinga, Dunckelspula, Schwinfurtho.

## III.

Gravatus per sententiam in Camera latam non prohibetur recurrere ad remedium Revisionis, si scilicet causa sit infra 2000. Thaleros non computatis usuris & Revisionem petens in casum succumbentiæ certam summam deponat.

## IV.

Judicium Rothwilense est longe discriminatum a Camera Imperiali & Senatu Imperatoris aulico; præter Judicium Rothwilense alia adhuc Imperii Judicia sunt, quæ tamen cum non summa & inappellabilia sint, non male subalterna audiunt v. g. *das Westphelische Frey-Gericht, das Kayserliche Land-Gericht auf der Lauben zu Hagenau; Item Judicium provinciale Burgraviatus Norimbergensis in Anspach, das Kayserliche Land-Gericht des Hertzogthums Francken zu Wirtzburg, das Kayserliche Land-Gericht in Ober- und Nieder-Schwaben.*

## V. Quæ-

## V.

Quaestio est: an Status Imperii, qui habet Jus recipiendi appellationes in causis subditorum alterius Constatus possit hujus subditos qua testes immediate citare, an vero mediantibus litteris mutui compassus eos evocare teneatur? quam quaestionem multi haecenus pro aris & focis propugnarunt, citationes proposito in casu immediate a tali Statu Imperii ad alterius Status subditos fieri & decerni non posse, sed mediante requisitione & litteris mutui compassus id fieri oportere: verum si quaestionem secundum genuinas proprietates & attributa jurisdictionis supremis Judiciis Appellatoriis hic competentis tam ex jure communi quam laudabili praxi & stylo & consuetudine profundius perpendamus, in affirmativam descendimus.

## EX HISTORIA ECCLESIASTICA.

## I.

**Z**ephirinus Pontifex nec Montani propugnavit errorem, nec ipsi ullatenus favit, uti etiam fictitius est lapsus Marcellini summi Pontificis; Commentitius tamen non est lapsus Origenis in persecutione Decii, uti certat purpuratus Annalium parens Baronius.

## II.

Nicano Concilio praefuerunt Osus Cordubensis Episcopus, Vitus & Vincentius Presbyteri, Pontificis Maximi, cujus legati erant, nomine.

## III. Con-

## III.

Constantinus Nicomediæ sub finem vitæ baptizatus est contra prælaudatum Annalium Ecclesiasticorum scriptorem antesignanum; Edictum præfati Constantini donationis, quod refertur Tom. I. Concil. supposititium esse multa demonstrant, ac præcipue patet ejusdem falsitas, quod nulla fuerit Romanorum Pontificum Auctoritas temporalis in urbem & Italiam a Constantino usque ad Odoacrum Regem Herulorum, cum ab Odoacro Ariano Rege Herulorum usque ad Justinianum Roma Regibus servierit, nec minus historiæ doceant aperte, sub Imperatoribus Græcis ad Pipinum usque & Carolum Magnum nullam fuisse Romæ temporalem Pontificum Auctoritatem; Ecclesia proinde Romana Romæ & Exarchatum Ravennæ Pipino & Carolo Magno Christianissimis regibus in acceptis refert, ipsorumque nec non Ludovici Pii & Caroli Calvi munificentia debet, quod urbium & Provinciarum sit domina, quæ folis antea oblationibus, prædiis & latifundiis erat dives.

## IV.

Sacra Synodus Constantiensis fidem hæreticis violandam esse non docuit; nec etiam ab ea aut a Sigismundo Imperatore Joanni Hus & Hieronymo de Praga violatam esse unquam probabitur.

## V.

Ingentes contra Annatas motus facti sunt in Concilio Constantiensi; Interim Annatarum exactionem Simoniacam esse, nec tota Natio Gallicana sensit tempore

pore Constantiensis Concilii, nec eam Concilium Ipsum damnavit, sed concilii Basileensis & Sanctionis Pragmaticæ decretis Annatarum exactio prohibita est, ea tamen lege, ut congruum aliunde subsidium Romano Pontifici subministraretur. Hinc perlustratis gravioribus hujus integræ historiæ circumstantiis concludimus audacter, pium esse Annatas solvere, & modo nullo Simoniacum aut injustum esse, exgere.

## EX JURE POLITICO.

### I.

Sunt, qui Jus Publicum, nobilissimam Universi Juris partem artemve solis Aulis vendicent tamquam proprium Palatinorum peculium, existimantes, Jus hoc extra sphaeram Academicam positum & velut transcendens Horizontem Scholasticorum, nihilominus audacter dicimus cum CARPZOV. LYMN. & OLDENBURGER Jus Publicum typis publicis editum in Scholis & Academiis non tantum docere ac discere licere, sed & oportere, nec id absque magno Reipublicæ detrimento negligi posse, non obstante Constitutione Fridericiana in Comitibus Moguntinis, de An. 1441. proposita.

### II.

Religio Romano Catholica Politico Imperii Regimini non modo accommodata, sed & utilissima est.

### III.

Pessimæ sunt Politicæ Regentis Regulæ: *Regi Imperium habenti nihil injustum, quod utile: sine injuria non potest*

*potest gubernari Respublica. Si Jus violandum, Regni causa violandum.*

IV.

Hinc pie æque ac Politice præstantissimus ille Regni Poloniae Mareſchallus LUCAS OPOLENUS L. 2. *officior. Cap. 2. fol. 158.* Monumentis conſignavit, ſi, inquit, Imperii inſtituti ſinis, qui eſt bonum & Commodium ſubditorum, recte expendatur, & ad eum cuncta referantur, ſciantque, qui eo potiuntur, ſe non ſuam rem agere, ſed populi, atque ita rempublicam adminiſtrent, ut agnoſcant omnes, ſuam omnino ſalutem curari

V.

Num fatius ſit diſſimulare luxum, quam Sanctio-  
ne Pragmatica eum prohibere, problema eſto.

EX JURE FEUDALI & CRIMINALI.

I.

Non prohibentur Clerici ſæculares imo neque Com-  
munitates Religioſæ, quo minus a Laicis Dominis recipiant feuda, modo Clericis & Religioſis concedatur feudum francum ſine onere ſervitii perſonalis, vel ſi quidem cum onere, ita tamen, ut illud ſit compatibile cum ſuo ſtatu vel per ſubſtitutum peragi poſſit, ita MINSIGERUS, unde & Equites Cruciferos vulgo *die Iohanniter*, feudorum capaces eſſe aſſerimus.

II.

An hoc ipſo, quod conſeſſum ſit feudum nobile, etiam ſit conſeſſa nobilitas, expedimus diſtinctione.

F 2

III. Ma-



## III.

Matrimonium ad Morganaticum contractum nec injustum, nec Jure Canonico etiam improbatum est, neque habent liberi, cur de præjudicio sibi illato circa eis jure naturæ debita contra illud moveant querelam.

## IV.

Non levis in studio Juris feudalis se offert disceptatio, num fæminæ, Rustici & plebei res suas, in quibus dominium & absolutam disponendi potestatem obtinent, in feudum dare valeant? nos hanc infeudationem invalidam esse cum FACHINÆO dicere non audemus, sed potius illam valere cum STRUVIO, HORNIO & STRYCKIO statuimus.

## V.

Sua utique pœna tenetur Judex de tortura injusta convictus, at nec ex hac nec ex aliis argumentis v. g. dari personas a tortura exemptas, fluit, torturam legitimis causis concurrentibus esse illicitam.

O. A. M. D. G. & B. V. H.



REVE-



REVERENDO ATQUE CLARISSIMO  
DN. RESPONDENTI

S. P. D.

P R Æ S E S.

**N**on absque insigni voluptate, Te R. D.  
Juris honorum Candidate dignissime!  
cathedram conscendentem comitabor, ex  
tribus namque rigorosis tentaminibus, queis  
Te, ut Candidatum Juris decet, subjecisti,  
certissimum augurium capere potui, Te  
omnigeni Juris Corollaria in Cathedra  
publica contra tela Opponentium defen-

F 3

surum

furum esse. Stetisti videlicet optime in Exa-  
 minibus, & tam folide & prompte Quæ-  
 stionibus Juris Tibi propositis satisfecisti,  
 ut unanimes Ordinis Nostri calculo dignus  
 fueris habitus, cui honores Academici con-  
 ferantur. Instat nunc ultimum certamen,  
 quo feliciter peracto nil plus superest,  
 quam ut etiam more Majorum præmia his,  
 qui optime in stadio Juris cucurrerunt,  
 bis tribuamus; Quorum numero Te in-  
 primis R. D. dum accenseo, eo simul pro-  
 fecto magnopere delector, quod fors ita tu-  
 lerit, ut me ordo tangeret, qui Tibi bra-  
 beum, diligentia Tuæ debitum, ex Ordi-  
 nis Nostri Decreto deferrem. Faxit D. O.  
 M. ut hi honores Academici, quos modeste  
 ambis,



ambis, quique Te propius nunc exspectant,  
cedant in Religionis Catholicæ incremen-  
tum, in proprium Tuum emolumentum,  
totiusque Principalis Seminarii honorem  
& gloriam. Vale!



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





# COROLLARIA

EX  
JURE NATURÆ ET  
GENTIUM.

## I.

**E**X independentia hujus vel illius Principis facile æstimabis, quare Legatos eorum ab omni subjectionis nexu liberos enunciamus. Par enim in parem non judicat, sequitur inde, quoad omnia negotia civilia, quæ vel in contractus - vel testamenti - factionis negotium incidunt, exemptos ab ordinaria Jurisdictione Legatos pronunciare Jus Gentium.

## II.

Eo magis igitur illa asserta dependentia Legati a foro delicti in causis criminalibus, sive læsæ Reipublicæ, vel Majestatis vera est; cum enim tantum vim injustam a Legato abesse volumus, sequitur, quod ille, qui contra Rempublicam machinatur, hostis illius fiat, hinc inviolabilitate sua excidat.

)

## III.

### III.

Hostis enim à societate inde etiam à securitate recedit, per hostiles machinationes enim Legatus omnibus Juribus ipse renunciat, quæ ipsi ex natura socialitatis antea debuimus; Hostilitate igitur demonstrata, fictione Juris non amplius pro persona mittentis amici haberi potest, quæ tamen unica, & sola Legati causa inviolabilitatis erat.

### IV.

Huic nostro asserto, & mores Gentium, & ipsa æquitas assentitur, Legatus enim delinquens non maneat impunitus, in omnium ore in confesso est, Sed addunt modo, ad illum remittendum esse ad puniendum, qui misit Legatum, aut ponamus ita læso per punitionem forte fieri satisfactionem, minus tamen eam credimus, quæ ex circumstantiis fori delicti magis esset adæquata, deinde quid quæso in recessu illud habet, Legatum puniri a læso ipso, minus vero ab ipso mittente: Cessante enim notione & titulo Legati, in punitione neque inviolabilitas, nec honor mittentium, est in lubrico.

### V.

Quodsi vero forte pars læsa è libera voluntate ad mittentem delinquentem remittit, principalis vero ex post poenam, & ita satisfactionem Reipublicæ læsæ negligat, tum in partem delicti venire videtur, quapropter læso per bellum vel vim poenam exigendi facultatem Jus Gentium suppeditat.

### VI.

VI.

Praxis Gentium ipsa assertis, & supra allatis principiiis consentire videtur, cum enim liberi populi capturam sive arrestum Legati tanquam viam ad punitionem approbent, nec ab ipsa poena abhorere eos credibile est.

EX

JURE CIVILI.

I.

**N**on est iniquum, cives aliquando ex justa causa cogere ad emendum vel vendendum.

II.

Venditor tenetur præcise ad rem venditam tradendam, ut non liberetur præstando interesse.

III.

Filius licet Patris hæres factus sit, tamen retrahere potest rem a Patre venditam.

IV.

Pactio quidem impediri potest alienatio, si alterius interfit, sed tamen, si contra pactum res vendatur, propterea non impeditur Translatio Dominii

V.

Disputant D. D. utrum Pactum, quo reservat sibi venditor tam diu dominium, donec pretium fuerit solutum, transferat periculum in emptorem?

) ( 2

Sed

Sed quæstio præjudicialis est, an ex Jure Romano, an ex Jure Allemanico sit sumenda decisio? Si ex illo, res clara est, periculum spectare ad emptorem, si ex hoc, aliud dicendum est. Schilter Exerc. ad ff. 30. Thef. 57. in dubio standum Juris Allemannici dispositioni.

VI.

Damnati ad mortem hodie recte testantur.

VII.

Hinc etiam Sagis non est deneganda testamenti factio.

VIII.

Ex testamento imperfecto nascitur obligatio naturalis modo adsit perfectio voluntatis.

EX

## JURE PUBLICO.

I.

Ineptiunt illi, qui negant Jus Publicum in Academicis tradi debere, ne scilicet arcana revelentur.

II.

Non omnis ratio Status tanquam Machiavelistica est rejicienda, cum Jurisprudencia non Theoreticè debeat explicari, sed in usu, & applicatione prudentiam imprimis requirat.

III.



### III.

Errores manifestissimi sunt, qui reperiuntur in sententia LIMNÆI de Jure Publ. L. 1. C. 10. N. 50. & ibid. in addit. & FRANCISCI IRENICI ad BURGOLD P. 1. Discurs 10. n. 15. p. 128., & Discurs 32. p. 173. Imperatorem, scilicet Investituram Feudorum Regalium magis Sacri Imperii, quam propria autoritate exercere.

### IV.

Quemadmodum Vicariis Imp. tempore Interregni Investituram Feudorum regalium Secularium, quæ *Fahn - Lehen* vocantur, concedere per auream Bullam interdictum est, ita nec Investituram Feudorum regalium Ecclesiasticorum *Scepter - Lehen* ipsis competere statuimus.

### V.

Licet liberis Imperii Civitatibus Jus suffragii decisivi non minus, quam cœteris Statibus Imp. vigore Art. 8. Instr. Pacis Westph. dilucide concedatur, nec tamen de Jure prætereendere videntur, ut ad simultaneam Re - & correlationem cum duobus majoribus Collegiis admittantur.

### VI.

Sufficit enim iis ex mente dicti Articuli, quod licet duo majora Collegia in voto quodam sint unanimia, rem nondum plenam esse, sed votum civitatis adhuc audiri debere, obstat illis, quo

quo illa separatio Juris, publici fiat disparitas ratione ordinis, gradus & dignitatis.

VII.

Fœminæ illustres ab officiis publicis in S. R. I. non plane sunt exclusæ, hodie enim indubie gaudent in casibus non exceptis Voto & Sessione in Comitibus & Circulis Imp., num vero etiam simul in nostra Imperii compage ad Vicariatum admittendæ, certis Vicariis jam in aurea Bulla constitutis, nondum liquet, licet exempla antiquiora Hadvvigis scil. ap. ECCARD. de casibus Monasterii St. Galli c. 10. Mathildis Abbatissæ Quedlinburgensis, item Agnes Matris Henrici IV. Imp. adhuc impuberis historia tanquam Vicariarum Imp. non nesciat.

VIII.

Quid sibi verba illa inserta Privilegio Serenissimæ Domui Austriacæ a Friderico I. concessio vere velint: *Wird der Herzog von Oestereich auf einem Reichs-Tag erscheinen, so soll Er als einer derer Reichs-Vorsteher geachtet vverden*; nondum specialiter interpretatione vel scriptis exhaustum est.

IX.

Quæ ipsa verba quidam ex inscriptione à Rudolpho IV. numismati commendata: RUDOLPHUS Dei gratia Palatinus Archi-Dux Austria: interpretantur & dilucidant, Imperatorem Fridericum I. scil., Ducem Austriæ eo tempore jam Collegio Archi



Archiducum Palatinorum, sive iis qui Archi officiis fungebantur in imperio, accensere voluisse.

X.

Unde ulterius inferunt, Archi - Ducibus Austriae ad novum Electoratum aditum & Jus quaesitum hucusque patere, indeque indagacionem in novum Archi - Officium & congruam, & suo modo necessariam esse.

XI.

Tritum illud, Principes inter se utuntur Jure privatorum, ita debet intelligi, Principes inter se litigantes ex Jure Naturae & gentium, ut & consuetudinibus immemorialibus sunt judicandi, nisi in hoc vel illo capite Juris civilis receptio tanquam exceptio doceatur.

O. A. M. D. G.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

O A M D G








ULB Halle  
006 571 530


3



VD 18







3007

**SUBSIDIA  
INTERPRETATIONIS  
DOCTRINALIS  
PACIS RELIGIOSÆ ET WESTPHALICÆ,  
AC UTRIVSQUE  
SYNOPSIS HISTORICA**

1741/15  
5

Q U Æ  
AUSPICE DEO TER OPT. MAX.  
INDULTU AMPLISSIMI ICTORVM ORDINIS  
IN ALMA JULIO-FRIDERIC. WIRCEBURG. UNIVERSITATE

**P R Æ S I D E**

*Prænobili, Clarissimo ac Consultissimo Viro ac Domino*

**JOANNE PETRO BANNIZA,**  
UTR. JUR. DOCT.

Reverendiss. & Celsiss. Princ. Episc. Bamb. & Wirceburg. F. O. D. Consiliario Aulico, ejusdemque in præfata  
Universitate Juris Feudalis, Præcos Supremorum Dicasteriorum  
et Cancelliarum, uti et Præcos Crim. Prof. P. et O.

*Tribus rigorosis Examinibus rite tentatus & approbatus*

**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN UTROQUE JURE CAPESSENDI HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

*Publicæ Disquisitioni submittit*

**JOANNES GEORGIUS KOENIG,**  
Regiscur. in Arvis, Ss. Theol. Baccalaureus Biblic. et Format.  
et Jurium Emeritus, Rever. et Celsiss. Princ. Alumnus Presbyt.  
p. t. Perillustr. Juvent. Greiffenclaviane Moderator.

IN AUDITORIO JURIDICO AN. M DCC XLII. DIE XVI. DECEMBRIS,  
*Horis ante & post meridiem consuetis.*

WIRCEBURGI, Typis Joan. Jac. Christ. Kleyer, Univ. Typogr.

